



Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1521. usque ad annum 1525

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118472

§. 13. Turcæ Solimani adventu ad prosequendam Rhodi obsidionem
animati.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66495](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66495)

Sæcul. XVI. phæ Belliduci urbis primo expugnante
A.C. 1522. dæ consilium, quo circa Rhodus infestis
 armis cingitur, jamque obsidionales ad
 urbem accessus tam prope ducuntur, ut
 tormentorum iactus mænia attingerent:
 Unde Turcæ aciem latius distendere va-
 lentes tormentorum suggestum erige-
 bant, quem tamen Equites brevi ever-
 terunt, tam copioso grandine diu no-
 tuque ex urbis tormentis plumbeos
 majoris ponderis globos ejaculantes, ut
 cunctos Barbarorum aggeres impune
 disjicerent. Ex infracta hac Equitum
 virtute Turcæ sinistrum prorsus obsidio-
 nis successum sibi augurabantur, & non-
 nisi reluctantes, ac in apertas indigna-
 tiones effusi ad pugnam trahebantur.

§. XIII.

*Turcæ Solimani adventu ad prose-
 quendam Rhodi obsidionem
 animati.*

Ext. Chal- Acceperat negotium Peri seu Pyrus
cond. edit. & Bassa, ut Solimanum de obsidionis
apud Schard. successu exacte edoceret. Hic ergo pro
Oper. hist. t. 2 demandato sibi munere, totum exerci-
 tum animo fractum significabat, ac Imperatorem iterum iterumque obtestaba-
 tur, ut militum animos præsentia sua
 accenderet. Accepto nuncio Solima-
 nus

nus nulla mora cum quindecim arma- Sæcul. XVI.
 torum millibus Lyciam contendit, ac A. C. 1522.
 Portum Fischum ingressus cum navibus
 suis tanta celeritate mare emensus est,
 ut die vigesima octava Mensis Augusti
 in castra perveniret. Vix advenerat,
 cum protinus consenso folio totum ex-
 ercitum, inermem tamen, coram esse
 juberet, quo facto suam cunctis igna-
 viam exprobrans, eos infausta manci-
 pia ipsis foeminis imbecilliora, magis-
 que timida appellitabat, jamque in eo
 erat, ut una omnes a quindecim suorum
 millibus, quos secum adducebat, truci-
 dari juberet, illique Solimani jussa exe-
 cuturi jam jam enses nudabant, oppor-
 tune tamen Pyrus Bassa summa demis-
 sione Solimanum supplex rogabat, ut
 veniam impertiretur militibus, qui mul-
 tis alioqui illustribus factis clari, etiam-
 num commissam ignaviæ culpam pro-
 prii sanguinis effusione expiare parati
 essent. His verbis placatus Solimanus,
 cunctis vitae veniam fecit, exercitum-
 que dimisit, cui tam severa objurgatione
 animum reddidit.

Jam solidus effluxerat mensis, quo
 varias urbis partes ingenti tormento-
 rum numero diu noctuque quatere ces-
 satum nunquam: Ubi vero obfessi pul-
 veris pyrii penuria laborare cæperant,
 urbsque ad exiguum dimicantium nu-
 merum

Sæcul. XVI. merum redigebatur, proximam sui rui-
A.C. 1522. nam impendere præsentiebant, præser-
 tim cum nulla ferme præteriret dies,
 quæ non quodam assaltu, ac plurimo-
 rum utrinque clade funestabatur, ubi
 tamen Equitum jactura ob exiguum
 fuorum numerum semper magis noxia
 erat, & in una sola Turcarum irruptio-
 ne supremus rei tormentariæ Præfe-
 ctus, Argillemonti Eques triremium Na-
 varchus & Eques Mausella Magni Ma-
 gistri vexilifer, præter alios quampluri-
 mos desiderabatur.

§. XIV.

*Turcarum sententia de urbe quatuor
 ex partibus invadenda.*

Jacob Fon- Solimanus, cum Janifaros ob tot ag-
tani de bello greffiones incassum tentatas, ac in-
Rhodio. gentem suorum cædem animo dejectos
 cerneret, belli Senatum habuit, in quo
 decretum, undique in urbem impetum
 esse faciendum, unoque tempore qua-
 tuor diversas murorum partes aggre-
 diendas. Præfigebatur huic assaltui
 dies vigesima quarta Septembbris, &
 Sultanus militibus suis novos animos
 inditus, præconis voce proclamari
 jussit, Rhodum deprædandi copiam eis
 fieri, si urbem armis caperent. Com-
 perto hoc Turcarum consilio supremus
 Magister